

comparandæ; neqve hæc modo allegata est distincta qvædam ratio ab hac, qvam dixi fundamentum sacrificiale possidere, sed potius explicatio est causæ, cur Deus per sanguinem voluerit expiari homines, qvia nimirum per animam ipsam expiatio erat facienda. Qvandoqvidem igitur per *sangvinem animatum* erat expiatio facienda in sacrificiis, ideo abstinere ob sacrificiorum reverentiam a sangvine omni jubebantur Noachidæ & Israelitæ. Et ita pariter cognoscere datur, rationem interdicti Noachici alias ab adversariis nostræ sententiæ propositam, *qnod anima sit in sangvine, seu qvod sangvis sit ipsa anima*, manu recta ducere in scholam sacrificiorum, ubi hæc ratio non tam pro argumento abstinentiæ, qvam pro argumenti explicatione militat, ut clarissime licet videre. Expedio secundo, qvod ex dictis fluit, Noachidas omnes, tam fallacem Japheti Chamique infidam DEO progeniem, qvam Semi piam posteritatem, eamve quæ purum DEI cultum sectabatur, obligatos fuisse interdicto decenter obsecundare, non qvod naturæ legi *esus sangvinis contrariaretur*, sed qvod omnes & singuli obligabantur ad verum DEI cultum in sacrificiis, eorundemqve fundamento, tum maximam partem consistentem. Proinde ob violationem hujus interdicti nusquam castigari gentes a DEO aversas in sacris legimus, nisi qvatenus in contrarium DEO cultum & sacrificia idololatrica esum sangvinis diverterant; qvin legimus potius, morticinia, qvæ utiqve a sangvine non purgata, gentibus concessa & peregrinis inter Israëlitas. Cur tamen expresse peregrinis in Israële sangvinis *esus prohibetur*, manifesto liquere existimavero, qvod omnis effusio sangvinis sacrificia respexerit, & sangvis extravasatus solis facris cæremoniis in expiationem fuerit destinatus. Contra hæc, ut præcipuum cultus veri fundamentum, neqvaqvam fas erat peregrinum, seu proselytum domicilii, agere, licet potuerit participare de sangvine mixto suæ carni emortuæ, in quo respectus sacrificiales cessabant. Hæc facem præferunt explicando loco Levit. XVII, 10. *Homo qvilibet de domo Israël*